QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. IANVARII. M. ROBERTO TVLLOVE DOCT. MEDICO MODERATORE.

695.

An à primâ Venere, vocis mutatio?

VENVS amoris initium & finis, naturæ ad ſpeciei conſeruationem & ſuauiſſimum & apprimè neceſſarium eſt inuentum. Cum enim nec mas in ſe, nec ex ſe fœmina generet, vix abſque incredibili, ſed heu! breui delectatione, vel ſemen ſuum vir in ſordidiſſimum vteri barathrum demitteret, vel ſeſe mulier viro, vt matulam, ſupponeret. Vtriuſque ergo animos conciliat ſpe & vſu voluptatis eximiæ, quam neutri maiorem nemo credat. Vt rara certis animantibus Venus ipſa conuenit, frequens alijs, vt columbis & paſſeribus; ſic hominibus pituitoſis & melancholicis rara placet, ſanguineis & bilioſis frequens. Prima, vt inſolens, & magis delectat, & corpus magis immutat: Aliæ prout modum tenent, aliàs vtiles, aliàs moleſtæ, quicquid clament Epicurei. Vt primùm teſtes, inter partes nobiles reponendi, procreationis opus, cui præſunt, aggrediuntur, quaſi nouis in ſe conceptis ignibus, plurimas corpori μεταβολὰς, multa ornamenta & commoda miniſtrant, iudicij ſagacitatem, maieſtatem virilem, pilorum exortum, virium robur, vaſorum amplificationem, vocis mutationem.

GENITALIVM partium cum organis vocalibus atque thoracicis magna intercedit συμπάθεια; cordis & pulmonis cum teſtibus eximia συνημμεία; penis & colli, vocis & coitus conſenſus propè admirabilis. Cor & teſtes, duo caloris influentis connatíque fontes: Cor natiuum calorem, partibus inſitum, continuò diffluentem, ſed arte medicâ reparabilem, fouet & recreat; teſtes eundem ſemini, licet ἀψύχῳ, impertiuntur. Vocis gracilitatem ſoluit varix ad vtrumuis teſticulum. Moleſtam pulmonibus tuſſim ſedat ſuperueniens teſtium tumor, obſeruauimúſque gonorrhœâ virulentâ laborantem vlcere pulmonis tentatum & extinctum. Qualis penis, talis colli conditio: ſcilicet hoc, primo coitu (quod eſt præſentiſſimum & exoptatiſſimum etiam delicatioribus puellulis ad hyſtericam affectionem fœdóſq; colores alexipharmacum) craſſius euadit & patentiores redduntur eius tubi. Anguſtæ vocis ſunt, quibus vis coeundi vel adempta vel vegeta parum, quales μικροκέφαλοι (qui omnium imprudentiſſimi) εὔνουχοι, σπάδωνες, ἐκτομίαι, θλαδίαι, fœcundo rore deſtituti, & quibus venerei campi fruſtranea eſt aratio: Stentor, Hercules, μελάνορχοι, quíque pectus habent hirſutum & latum, magnam & altam habent vocem, ad aſpectum lupi nuſquam rauceſcentem.

VOX ſonus eſt ab animalis gutture & certis oris organis in aërem editus. Aër ſæpe ſoni cauſa effectrix eſt, obiectum ſæpius, medium frequentiſſimè. Aëris fractio nec ſonus eſt, nec eius immediata cauſa. Sonum quodlibet corpus efficit, vox perfecti duntaxat animalis, nec tamen omnis, propria, vt ſermo logici. Voci in aërem emittendæ, hæ ſeſe inuicem actiones conſequuntur, animales omnes. Aëris, diaphragmatis & pulmonis ope, inſpiratio (ad animalis vitam minimè neceſſaria) & expiratio à muſculis thoracicis; exſufflatio ab intercoſtalibus & faucium muſculis; vox denique à muſculis gutturis. Vocis materia, aër in pulmone elaboratus; ſicut vox, materia eſt ſermonis. Primarium vocis organum larynx eſt, præſertímque in eo glottidis tum ſubſtantia tum rimula; thorax ſecundum. Eadem conferunt & loquelæ, quibus & annumerantur palatum, dentes, labia, narium & oſſis frontalis foramina, gargareon & imprimis lingua, ἄγγελος λόγων, potiſſimum ſcientiarum omnium inſtrumentum.

ARS ſermonem edocuit, vocem genuit natura, quam in ſingulis animantibus vnicam & ſingularem agnoſcimus, cùm ſermo in vno homine ſit multiplex. Ab expirati aëris paucitate & copiâ, vox fit parua, magna; ex motus tarditate & velocitate, grauis & acuta (quæ totam Muſices rationem conſtituunt). Nec obſtat, quòd vox eminus audita auribus perſtrepat acutiùs. Ab eiuſdem motus æqualitate & inæqualitate, lenis & aſpera. Inæqualem aëris motum ſi nimius organorum mador efficiat, obtuſam pariet, raucam & obſcuram, quæ pernoctanti familiaris eſt; ſi ſiccitas, clangoſam, ſtridulam, tinnientem. Hinc à febre cantus difficilis. Eſto verecundis vox magna & grauis, à calore; metuentibus acuta & exilis, à frigore: nullam tamen calor & frigus vocis differentiam conſtituunt, vel ſi voces hyeme quàm æſtate fuerint grauiores.

AD vocem maximè faciunt nerui recurrentes, qui ſi validi & fortes, valida; ſi debiles, debilis vox obauditur. Ijſdem reſectis aut obſtructis animalia redduntur ἄφωνα (canes vociferari corde execto falſiſſimum, quamuis cor nihil aut parum ad vocem conferat) Philomela, cuius cantus multò dulcior eſt ante quàm poſt coitum, ſuos non ampliùs ſonat amores; & gemere aëriâ ceſſat turtur ab vlmo; Lucretia Tarquinium ſtupratorem ſuum apud iudices accuſare, & Marſyas in pœnam canere & cadere non eſt potens. Eiuſcemodi neruos prima præſertim Venus explicat, & omni ſuperfluo humore expedit: quinetiam teſtium augmentum & orgaſmum promouet. Et quo nemo miretur, ſi innumeræ virgines etiam omni Gratiarum choro ſtipatæ, blandis dantes Syrenibus aurem, nullis conuocatis teſtibus, nequeuntes diutiùs tantum cruciatum gladiatoriæ veneris ſuſtinere, reſupinæ iacentes, amaſiorum ſuorum non lethales ictus, ſorbillantibus ſuauijs priùs hauſtis, cum manifeſtâ vocis mutatione abſorbeant.

Ergo à primâ Venere, vocis mutatio.

Proponebat Lutetiæ SEBASTIANVS RAINSSANT Campanus, Anno R. S. H. M.DC.XXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes de Bourges.	*M. Franciſcus Boujonnier.*	*M. Franciſcus Guybert.*
M. Valentinus Hieroſme.	*M. Ioannes Berault.*	*M. Ioannes Pietre.*
M. Ludouicus Robillard.	*M. Franciſcus Mandat.*	*M. Ioannes Couſin.*